IOANNIS BERINGVTII SENENSIS IVRECONS. PRAECLARIS. ORATIO

Quam habuit dum Ius Ciuile in florentiss. Neapolitano Gymnasio aggrẽderetur, in qua de legum institutione, maiestate, utilitate fine, omni denique studendi ratione absolutissimè agitur.



NEAPOLI:
Apud Iosephum Cacchium. M. D. LXXXIX.

PAVLVS PORTARELLVS IVLIO CAESARI COMO.

CVM orationem illam, quam Ioannes Beringutius vir doctissimus, ad Senatum, populumque Parthenopeum habuit, dum ius ciuile in florentissimo Neapolitano Gymnasio profiteri aggrederetur à me in manus meas peruenisse audisses, Iuli Cæsar ornatissime, protinus mihi dixisti, te iamdiu illam legendi non mediocri arsisse desiderio. Quapropter à me illico deprompta, & abs te diligentissimè perlecta, visa est omni laude dignissima, non solum quod viuis quibusdam aculeis studiosos omnes iuuenes ad legum doctrinam perdiscendam adhortari, modosque ante oculos ponere uideretur, quibus in ea disciplina uehementer proficiant, atque animentur. sed etiam quod innumeris eloquentiæ flosculis conspersa, summa dicendi facundia, et maiestate, purissima di-

ctionis elegantia atq. miris sententiarum luminibus tibi adornata videretur. Quamobrem eam euulgare constitui tibi amico dulcissimo inscriptam, iuris cognitione studijsq; eloquentiæ exornatum, vt reliqua ingenij tui ornamenta prætere am cum munus hoc quãquam exiguum gratissimum tibi futurum cognouerim. ego certe quòd de illa sentirem, et quantum tanto viro horum præsertim studiorum splendore illustri tribuendum existimauerim tibi aperui.

IOANNIS

IOANNIS BERINGVTII SENENSIS

AD SENATVM POPVLVMQ. PARTHENOPEVM ORATIO.

FREQVENTIA vestrum incredibilis illustrissime consessus, Corona hæc amplissimorum uirorum splendore, & autoritate decorata, tanta studiosorum hominum concio, quantam meminisse non videor, & alacritatem mihi summam afferunt ad dicendum, et simul etiam tantùm insoliti timoris inijciunt, ut videar mihi vehementius quàm initio dicendi soleam commoueri. Tanta enim humanitas, tàm inusitata, inauditaq. beneuolentia uestra, tàm illustris optimè erga me affecti animi significatio quibus in hunc locum cunctis ferè suffragijs me non modò non expetentem, sed planè inscium cooptastis, non possunt non me & maxima voluptate afficere, & tot, tantisq. beneficijs obstrictum, ad vestris commodis (dùm vita suppetet) inseruiendum excitare, cùm præsertim videam eam opportunitatem summo meorum studiorum tempore mihi

fuiſſe conceſſam, qua huic florentiſſimæ ciuitati eam, quam maximè optabam, ob innumerabilia in me collata beneficia grati animi ſignificationem exhiberem, & quam referre non poteram, ſaltem haberem gratiam. Verùm iucunda hæc, & pergrata veſtræ uoluntatis recordatio non nihil habet timoris coniunctum quod verear ne ciuitatem hanc nobiliſsimam, cuius oculos in me vnum video eſſe coniectos ab ea, qua pendet mei expectatione deijciam, cùm illis præſertim uiris præſtantiſsimis in hoc munere ſuccedam; quibus, nè ſi multò plus ingenio & doctrina ualerem, parem me eſſe confiderem. Quod quidem noſtri aduentus incommodum cùm lenire aliqua ex parte deberet hæc oratio, qua mihi implorandi, & obteſtandi eſſetis, ut mediocritatem meam, uel potius tenuitatem & inopiam ſtudio, & alacritate iuuaretis, ne hoc mihi facere tutò licet: veſtra namq. grauitas, dignitas, maieſtas, toto terrarum orbe celeberrima, quæ cum veſtra humanitate decertat, æmula tantæ gloriæ, ijſdem mihi illis naturæ, & exercitationis ornamentis deſtituto, quæ in dicturo veſtra exigeret præſentia, omnem fermè loquendi poteſtatem adimunt, & linguam, quam veſtra humanitas ſoluerat, religare, & quodammodò conſtringere uidentur. In hac ergo rerum tàm inter ſe pugnantium conflictione, dùm ego medius quaſi omnium partium ictibus ſim expoſitus, unam hanc video conſilij rationem; quam cum laude poſſim inire, vt veſtræ voluntatis ſcuto, cuius, quaſi quodam imperio coactus hunc locum adij, me me protegam, cùm non poſſit mihi non eſſe glorioſum, ſi eorum voluntati morem geſſerim, quibus niſi paruiſſem, nulla ratione poſſim me à ſcelere liberare. Vt enim mea ſponte tàm laborioſum onus,

tàm

tàm difficilem prouintiam, tàm denique amplißimam dignitatem non modò appetere vel ambire, sed nec, si fuisset oblata, de ea nunquàm suscipienda cogitassem. Ità modo vestro adductus imperio, impulsus precibus, excitatus studijs, incredibili denique allectus humanitate, accedo lubens, nec modò lubens, sed excelso quodam, & elato animo, quo video proculdubio fore, ut labores illi, & mea diligentia reddantur faciles, & amore, quo vos prosequor subleuentur, & plurima demum studiosorum vtilitate compensentur. Ergo in hoc breui temporis spatio, in quo amplißima faciendi quæ maximè uelim, opportunitas est adiuncta, antequàm propositam mihi de legatis aggrediar tractationem, pauca quædam de sacrarum legum institutione, maiestate, vtilitate, difficultate, fine, omni denique studendi ratione in medium adducam, hac tamen lege aud. humanißimi, ut si qua in re deficiens, vestris purgatissimis auribus non satisfecero, id æquo feratis animo prò uestra singulari humanitate, idq. totum partim imbecillitati meæ tribuatis, partim etiam uobis ipsis, quorum maiestas, & amplitudo facit, ut etiam si vestro humanissimo conspectu mirandum in modum recreemur; tamen, ne gaudere quidem sine aliquo timore possimus. Quare, à vobis peto, ut istos ipsos vultus, quos mihi nunc in hac prima ingressione mea præbuistis, ad extremam usq. orationem conseruetis. Quàm diù enim ità uos animatos intuebimur, & hilares, tamdiù libere ferentur verba nostra & vestro ipso studio ac silentio tamquàm leni quodam impulsa ventorum flatu in vestris auribus, tamquam in tranquilissimo aliquo portu conquiescent. Pleriq. sapientum dùm mundi huius pulchritudinem & ornatum oculis, animoq.

lustrarent, inter multa dignitate præstantia, æstimatione pretiosa, utilitate magna, nobilitate prima, omni demum genere præclara, unum hominem inuenerunt, qui ueluti sol inter astra, sic inter cætera animantia tamquàm Coripheus eniteat; intellexerunt enim viri prudentes, hominem, non ut aliàs animantes ad pastum, & ad reliquas corporis uoluptates factum, atq; procreatum, sed erectum ad cœlestia, excitatum ad diuina, & ut ipsius statura indicat, ad omnem dignitatem apposita ad immortalia ornamenta accomodatum. Quam dignitatem humano generi Dei beneficentia con cessam, ut retinere, exornare, atq; amplificare possent, mul to labore, summa iudustria, solertiq. studio eas inuenerunt artes, eas doctrinas inuestigarunt, eas deniq; præceptiones tradiderunt, quæ ad hominum salutem, ad communionem iuris, ad felicitatem deniq; mortalium intelligerent expedire. Hinc præclara, prope infinita hominum studia duxerunt exordium, hinc innumera à præstantissimis viris argumenta de publicis priuatisq. moribus, de sacris legibus, de maiorum institutis, de rebus appetendis & fugiendis, de uita beata, de diuino cultu, de immortalitate animorum, deq. omni uirtutum spetie, & prudenter suscepta & grauiter, ac eleganter fuere conscripta. Quæ omnia ueterum instituta, quos mores, quæ studia ad omnem liberalissimi cuiusq. ingenij ornatum quàm maximè accomodata, dum tacitus mecum ipse considero, in hanc plane ducor sententiam, nihil in humanis esse, siue dignitatem spectes, siue honestatem intuearis, siue utilitatem perpendas, siue ipsam deniq; requiras uetustarum rerum maiestatem, quod cum Iure Ciuili conferri aut comparari ulla ratione possit. Etenim, sicut quod antiquissimum

est,

est, ità maximo in pretio, & honore esse solet, videte quæso, quantum iuris prudentiæ omnes tribuendum iudicetis. Quæ non ab hominibus, ut recens aliquod, & nouum inuentum, sed à supremo illo legum omnium latore trahit originem, qui dùm Vniuersam hanc rerum mo lem infinita qua pollet potestate fabricatus esset, singula suis quibusq. legibus adstricta esse voluit. Hinc tanta hæc rerum consentiens, conspirans, & continuata cognatio, hinc æquabilitates motus, hinc conuersiones cœli, Solis, Lunæ, syderumq. omnium distinctio, uarietas, ordo, pulchritudo, hinc uniformes illi solstitijs, brumisq. solis accessus, & recessus. hinc denique omnes mundi partes tàm inter se concinentes, Vt ipsarum aspectus satis indicet Vno eas diuino, & continuato spiritu, quasi certa quadam lege, inuiolabilisq. iure gubernari. Quòd si hæc rationis expertia tantis contineri legibus, tantisq. adstringi præceptis uoluit Architectator rerum, quid putandum est in hominis (quod est animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, atq. consilij) ipsum effecisse procreatione, an illius commodis deesse poterat vnquàm, cuius gratia vniuersi orbis molitionem constituerat, uel sine lege condere eum quem, & ad sui effigiem effinxerat, & ad cuius fructum cunctæ rerum cunctarum leges referebantur? Dederat quidem ille homini excelsum quemdam altum, humanaq. despicientem animum omnium rerum rationem, modum, ac disciplinam complectentem, cui innatum erat; et ab ipsa natura matre insculptum diuinæ legis nescio quid, ratio recta, constansq. iudicium, vt nec transuersum vnguem à veri notione aberrare posset. Quæ tanta ad pulchritudinem ornamenta, tamquàm præclara ad vniuersam uitam præsi-

dia, ò utinam Aud. optimi miser homo rerum omnium princeps constitutus cum laude, & dignitate (ut poterat) retinuisset; facturus dubio procul, nisi primi parentis libido sibi, nobisq. omnibus conscivisset mortem, lætaleq. exitium, & interitum attulisset. In cuius rei quasi pœnam, rabiem, effrenemq. naturam redactus est, ut nisi uelut alter Vlysses aliarum legum, quasi quibusdam nexibus obstringatur. Syrenum cantus, immoderatæ videlicet cupiditates, & propensiones plurimum ipsi periculi sint allaturæ. Hinc tot extarunt, & diuini, & humani iuris volumina, hinc tàm multa plebiscita, Senatus consulta, edicta, constitutiones, iussa, hinc denique tot legum rogationes, promulgationes, abrogationes, confirmationes, priuilegia, indulta, cuiusq. ciuitatis mores, et instituta à præstantissimis hominibus diuino numine aduersus tantam calamitatem diuina excogitata subsidia. & quasi ad tantum subleuandum morbum præsidia comparata. Hoc initium, hæc nostrarum legum origo Aud. quæ licet ab hominibus excogitatæ inuentæ, et promulgatæ uideantur non sine tamen Dei optimi numine id factum esse, ex eo fit perspicuum, quòd non tàm stabilis alioqui apud omnes nationes legum appetitio permaneret, nec temporis diuturnitate confirmaretur, nec vnà cum seculis, ætatibusq. omnium inueterare potuisset, cùm omnia hominum inuenta diuturnitate semper extabuisse apertè videamus. Quare, primi illi ueterum legum latores tantam esse legum præstantiam, & dignitatem existimarunt, vt earum inuentores Deos esse prædicauerint. Nàm Osyris cùm Aegiptijs leges tulisset, à Mercurio se edoctum iactabat, Charondas Carthaginensium legis lator à Saturno, Zamolxis Scytharum à

Vesta, Minos Cretensium à Ioue; Lycurgus Lacedemoniorum ab Apolline, Solon Atheniensium à Minerua, Numa Pompilius denique Romanorum Rex ab Aegeria nympha monitum se esse asseuerabat. Quin, & diuinus Plato à Ioue per Mercurium hominibus datas esse leges, cæteras autem disciplinas à Prometheo, idest humana prouidentia traditas fuisse commemorat; Quæ, & si falsa illa, & superstitiosa Deorum opinione aspersa sunt, eò tamen à nobis adducuntur, ut intelligatis hanc sapientissimorum hominum fuisse sententiam; Legem neque hominum ingenijs excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed antiquissimum liberalitatis diuinæ munus, quod, nec ætate progrediente consenescit, sed florescit in dies magis, atq. magis, & quantum rebus cæteris diuturnitas detrahit, tantùm huic affert eadem firmitatis. Video iàm Aud. præstantiss. nemìnem esse vestrum qui non iàm magna ex parte complexus animo fuerit dignitatem & vtilitatem iuris prudentiæ, quas ego res, nisi me aliò uocaret oratio. innumeris argumentis exornare ac locupletare possem. Subijciam tamen compendiosam locorum suppellectilem, eamq. breui orationis filo percurram. cùm apud eos viros id hodie negotij susceperim, quibus satis fuerit vel leuiter res attigisse, Lex etenim est uinculum nostræ dignitatis, & libertatis fundamentum, lex est fons honestatis, & æquitatis, rectè viuendi magistra, moderatrix uirtutum, nutrix scientiarum, & omnium diuinarum, humanarumq. rerum admirabilis architectrix. In lege posita est mens, & animus, & consilium, & scientia ciuitatis, vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine legibus suis partibus, vt neruis, ac sanguine, & membris uti non

 potest.

potest. Tolle leges, vbi locus accusandi, defendendi, petendi, consultandi? Tolle leges, vbi pax, vbi religio, vbi libertas? Tolle leges, vbi iudiciorum veritas? vbi testimoniorum fides, ubi testamentorum firmitas? Tolle leges, quid aliud est uita nostra, nisi uelut alterum priscorum Philosophorum chaos, nisi cuiusdam uerae mortis effigies, et simulachrũ? His instituimur quales in parentes, quales in patriam, quales in amicos, quales in nos ipsos esse debeamus. His refrenare docemur prauas animi cupiditates, vitare flagitia, maculas delere, nostris frui, ab alienis abstinere; O sacrosanctas leges, ò singulare naturae praesidium, ò admirabile mundi decus, laudent alij Aud. medicinae facultatem, quae corporibus medendis est admodùm salutaris, extollant eloquentiam quae verborum delectu, & ornatu ad persuadendum multùm valet. Praedicent reconditas Philosophiae disputationes, quae ad acuendum ingenium plurimùm conferunt, comendent denique liberales artes omnes, quae ingenuum uirum à caeterorum hominum grege secernunt. Ego verò sapientum innixus vestigijs, legem rem vnam esse dicam, quae tantùm his omnibus dignitate, & vtilitate antecedat, quantum commune bonum priuato, diuinum humano par est excellere, Curet medicina corpus, lex medebitur animo, persuadeat eloquentia verbis, lex persuadebit rationibus, acuat Philosophia ingenium, lex totum perficiet hominem, exornent liberales artes iuuenes, lex vniuersam illustrabit Remp. Verùm, vt ad illud se conferat oratio nostra, quod apud vos in rebus aggrediendis plurimùm valere debet, mihi quidem in vniuersam disciplinarum uarietatem, in summosq. homines, ac summis ingenijs praeditos intuenti, id saepißimè visum est, nul-

lam esse disciplinam, siue multiplicem specles uarietatem, siue subtilitatem tàm reconditarum rerum, siue alia denique omnia quæ in doctrinis acquirendis, difficultatem augere solent, nullam inquàm esse disciplinam quæ tanto studio, & labore comparetur, ac iuris prudentia, in cuius studijs nullus vnquam peruenit, ad laudem, nisi is qui summum laborem, omnem operam, curam, atq. industriam in hac comparanda facultate fixerit, Video mirari uos studiosi iuuenes eam à me causam afferri iuris prudentiæ complectendæ, quæ ad deterrendos homines ab hoc studio uel sola plurimùm possit. Quid enim est maiori animi prouisione, ab omni ingenio fructus, & gloriolæ cuiusdam paulò auidiori fugiendum, quàm id, quod cùm semel aggressus fueris, vel turpiter deserenda prouintia est, uel in ea degendum sine laude, uel tertio, uehementissimè, & fortassis ultrà quàm possis insudandum? Accipite obsecro, accipite alacri & prompto ore, ac vultu quæ dicam, & ea penitus mentibus vestris, animisq. mandate: Ipsi profectò fatebimini illud ipsum, quod ignauos, & inertes homines à præclarissimis iuris prudentiæ studijs maximè auocare posset, ut potè quòd somniculosis obsistat inceptis, illud inquàm ipsum apud liberales iuuenes, strenuisq. ingenijs præditos quasi quædam meritò futurum esse calcaria, & quasi quosdam ignes, quibus subditis eorum animi ad illa eadem studia excitentur, & efferuescant. Etenim, sic vsu comparatum uidemus, vt ad præclara quæq. & illustria operosus valdè, ac laboriosus pateat accessus. Virtutem Hesiodus in uertice montis ponebat, prætiosissima quæq. Iuppiter sudoris prætio vendebat mortalibus, Eruditionis fructum Aristoteles dulcem, radices amaras asseuerabat, ac deni-

que natura ipsa eò plus temporis, laboris, industriæ & operæ in procreandis rebus insumit, quo id quod efficitur excellentius est, atque præstantius. Ex quo naturæ matris, totque clarissimorum virorum iudicio satis liquet non immeritò, nos, dùm iuris prudentiam susciperemus exornandam à difficultate, in qua maxima ipsius studia sunt posita, argumenta petijsse. Ardua profectò, & suprà quàm ardua dici possit res est iuris prudentia Audit. amantiss. & nisi fortè mihi, qui per multos annos in hoc studio non omninò infeliciter sum versatus fides præstetur (quamquàm aliqua experto esset adhibenda) res ipsa loquatur, Primum quidem iuris ciuilis scientia tanquàm Regina quædam clauum tenens imperij, omnes ingenuas artes, ac scientias, non aliter atq. suæ voluntatis fideles administras, ad sui obsequium euocat, prestò sunt liberales artes, adsunt ornamenta eloquentiæ, occurrunt morales disciplinæ, neque à tam præclaro comitatu reijciendæ sunt mathematicæ scientiæ, illæ præsertim, quæ numerorum, interuallorum, ac magnitudinum rationes considerant. Istæ etenim in agrorum finibus decernendis, in prædijs diuidundis, in alueis, ac limitibus constituendis inseruiunt plurimùm. Quod unum profectò sufficeret ad manifestè ostendendum iuris prudentiam hanc rem vnam esse aliarum omnium & præstantissimam, & difficillimam. Quibus enim ex rebus constare dicitur, quasq. necessario exigit, si perfecta esse debeat, suisq. numeris absoluta, earum vnaqueq. est ars ipsa magna per se se. Quare tot maximarum artium cumulus facilè existimari potest, quantam sit allaturus difficultatem. Vndè hospes ille Eleates apud Platonem perfectum iurisconsultum, et ad Reip. procurationem

ap-

aptum instituens omnium disciplinarum, et eloquentiæ præsertim præceptionibus illum vult esse non intinctum leuiter, sed in ipsis diù, multumq. uersatum. Quæ res, si bene intelligatur, quomodo non abhorrebimus à vulgari quorundam opinione, & iàm vetustate, frequentiq. multorum vsu corroborata consuetudine, qui feliciter secum actum putant, si cum uel primoribus labris triuialem quandam grammaticam attigerint, vel humaniorum literarum tyrocinium, turpiter exercuerint, ad clarißimum iuris prudentiæ studium his rebus egregiè parati se recipiant. Angor summoperè dùm plerosq. video non deprauatè, & corruptè solùm ipsos eloqui, ut potè omnis latinitatis expertes, uerum etiam omnes in eo neruos contendere, ut quo in errore ipsi sunt, cæteros inducant. O egregiam Barbarorum laudem, imò verò detestandum scelus, & aduersus iuris prudentiam ipsam coniurationem non ferendam. Qua enim quæso re magis iurisconsulto ad rectè iudicandum potestas adimitur, quàm si ab ipso perfectam quandam latinitatis cognitionem auferas? sine qua grauissima legum uocabula, quæ latinissimè sunt conscripta, phrases, connexio verborum, & vniuersa proprietas in quibus vniuersæ legis sensa sunt posita, nunquàm percipientur. Sed ne à re proposita nimiùm digrediar (proh Deum immortalem quos fines præteruecta est oratio nostra? Date quæso veniam Aud. iracundiæ non iniustæ, & quando ipsis impunè licet, sacrarum legum candorem, uenustatem, & elegantiam huius barbariei dehonestare turpitudine) reuertar eò, undè sum profectus. Quis quæso non eam disciplinam quàm maximè dicat laboriosam, qua nec mediocriter quidem ullus fungi poterit, nisi is, qui omnibus men-

tis nostræ partibus, ingenio, iudicio, memoria, multo insuper rerum usu quamplurimum valeat. Accedit deindè per se sola iuris prudentia quæ suo ambitu tàm multa, tàm varia, tàm recondita complectitur, vt si uelis eam certa quadam methodo comprehendere, nullo modo possis, adeò est in quouis causarum genere non dicam generatim, sed spetiatim exemplis diffusa, sanctionibus confirmata, illustrata sententijs, & autoritatibus propagata. Cuius quidem scientiæ labores non mediocriter auxit maxima hæc, & nimiùm iàm coaceruata commentariorum congeries, eorum præsertim in quorum lectione plus sæpè laboris quàm fructus excerpas. Plus ponas operis, quàm capias utilitatis. In quibus ego, si votis aspiraret facultas Justiniani nunc expeterem operam, & exigerem studium, ut quod effectum est in illa prima ætate, quam iuris prudentiæ iuuentutem nominare possumus, efficeretur in ista, quæ uetustate, macieq. tabescit. Huic igitur Aud. tam difficili, & laboriosæ facultati honores deberentur, huic imperia concedenda, ut nostra ætas imaginem quandam vetustatis exprimeret, quæ Lycurgos, Solones, Agesilaos eo solo nomine cæteris præposuit, quod in legum peritia alios antecellerent. Sed tibi Philippe Rex clementiss. tuæ clarissimæ familiæ columem, & memoriæ nostræ decus singulare, tibi inquàm potentissime Princeps hæc sunt seruata trophea; Tua enim maiestas, potestas, amplitudo in barbaras etiam nationes propagata cum summa sapientia, clementiaq. coniuncta, fore pollicetur, ut ipse eos, qui hanc tàm difficilem, & (ut ità loquar) salebrosam facultatem diuina uirgula sunt consequuti laudes præconijs, efferas suffragijs, cohonestes honoribus, eorumq. labores nimios (ut sæpe fecisti)

amplioribus, & præstantioribus præmijs illustres, atq. decores. Quo proculdubio fiet, ut si cum tua religione, & erga studiosos uiros humanitate, diuturna vita comes inter cætera præclara monumenta digna tuo nomine, digna genere, digna maiestate hoc etiam annumeretur, ut vnus ipse amplissimis, quæ proponis virtuti præmijs antiquos memoriæ nostræ restituas Celsos, Modestinos, Vlpianos, Papinianos. Et certè Aud. vehementer mihi gaudeo, gratulorq. ætati nostræ, maximè verò tibi Neapoli præclarissimæ quòd in præsenti consessu non paucos illius ordinis lectissimos viros, & cum omni uetustate optimo iure cōferendos, possim digito commonstrare, et commonstrarem profectò, nisi duorum alterum vererer, uel quod hæc uestrarum laudū encomia ob uestram singularem uirtutem, animiq. modestiā, ut quæ sint à uestra opinione valdè aliena, molesta futura sint, uel certè, quod uerius crederē satius esse indicaretur de uobis multa tacendo supprimere, quàm loquendo pauca dicere. Dies enim me narrantem deficeret, si uestras laudes iurisconsultorū consultissimi nō quidem amplificando exornare, sed tantum recensendo cōmemorare velim. Imitabor itaque Tymantem illum pictorem in primis nobilem, qui cùm diffideret se, quod vellet posse arte sua, & penicillo exprimere, uelo quodam prudenter obduxit, atq. texit. Dixi Aud. optimi quæ de iuris prudentia hoc loco, his temporum angustijs, hac summorū hominum frequentia, quibus ne sim molestus diligenter prouidendum est, dici uel potuerūt, uel debuerunt, nunc de me ipso, ac studēdi ratione paucis absoluam, si me, ut spero, dicentem studium uestrū ad extremā orationē prosequetur. Atq; ut multa tacitus prætermittā, illud in primis dicam nobile Salernitanorū gymnasium in

quo non annos, ſed vt luſtra aliquot maxima animi mei lætitia multa ciuium conſenſione, & non mediocri ſtudioſorum frequentia ſum verſatus, ſic apud me ualuiſſe exiſtimatione, autoritate, beneuolentia, vt ab ipſo cui amiciſſimè coniungebar, non niſi, ui, aut mortis interuentu diuelli potuiſſem, & certè nunqnàm ingrati animi effugiſſem ſuſpitionem, ſi me ſponte illi ciuitati ſurripuiſſem, quæ mirifi um ergà me ſtudium alacritate, frequentia, ubi opus erat, ſilentio, vbi res poſtulabat, oratione declarauit. Quæ fermè quotannis in augenda mihi mercede ſic fuit ſollicita, vt ad eam ſummam ſtipendium meum promouerit, quam antè me profeſſori eiuſdem ordinis decreuerit nemini. Quæ deniq. ſi ſemper excellenti animo, virtute, autoritate, & præſidio me fuit complexa, nunc eundem amorem in meo diſceſſu non ſine animi mei ſenſu lachrymis etiam eſt teſtata. En ego dùm in officio perſoluendo eſſem anxius, dumq. cogitarem illud Heſidi ab officioſis ſatis decantatum, quod eadem menſura reddere iubet quæ acceperis, aut etiam cumulatiore ſi poſſis, repentè euocor à vobis, uocatus hæreo, hærenſq. quò me vertere non habebam, hinc enim ſummum vrgebat imperium, illic uerò iuſtum detinebat officium, hic maior proponebatur dignitas, illic non minor inſtabat charitas, huc euocabat ſummus Prorex, & à latere conſiliarij, illic obteſtabatur ciuitas uniuerſa. Quid facerem, quodue caperem conſilium his anguſtijs circumſeptus? obſiſtere huic poteſtati non ferendæ fuiſſet temeritatis. At illinc vltrò recedere non minoris, ſeu cumulatioris fortè fuiſſet impietatis. Tandem diuino conſilio factum eſt, ut Salernitani omnes cùm apertè intelligerent hoc non mea uoluntate aliquando fuiſſe attentatum, ſed il-

illuſtriſsimi

luſtriſſimi Proregis, eiuſq. præſtantiß. conſiliariorum iudicio ſic eſſe decretum cederent illicò, ſuâq. voluntate horum amplißimorum uirorum voluntatem complecterentur. Quid ni complecterentur? cum Reſp. Regi, membra capiti, ſerui Dominis obſequi teneantur. Quid ni complecterentur? ſi ea uoluntas à te fuerat profecta illuſtriſſime Prorex, virtutis decus, præſidium iuſtitiæ, fautor ſtudioſorum huius ciuitatis, ornamentum ſingulare, cuius compoſitos mores, & apprimè moderatum animum nouerat optimè Rex potentiſſimus qui tot decoratum muneribus, fulgentem honoribus, dignitatibus cumulatum, ſuum ſplendorem, maieſtatem, et perſonam integerrimam te uoluit in hoc omnium florentiſſimo regno ſuſtinere? Quid ni tandem complecterentur? ſi id ipſum deſiderabas florentiſſima Neapolis, fortunatiſſima atq. pulcherrima? hæc enim eſt tua dignitas, hæc tua maieſtas, vt non minus tuo ſplendore omnes terras, mariſq. tractus peruageris, quàm globoſus hic, ſplendenſq. ſol lucis ſuæ magnitudine omnes orbis plagas ornat, atque colluſtrat. Sed, ut de me ipſo aliquando loquar, quid obſecro aduertere in me potuiſtis æquiſſimi iudices, cuius expectatione non dico me ad vos tanto ſtudio euocaretis, ſed ne meminiſſetis quidem? nùm fautores, & clientelas? quid hæc conaretur peregrinus & hoſpes? nùm ſubornatos à me internuntios? quomodò apud iuſtiſſimos moderatores hæc homo ſanus moliretur? nùm plurima ſtudiorum meorum ornamenta, & præſidia? At certè hæc quàm ſint exigua, ipſe bene ſentio. Quare, hoc maius eſt ueſtrum in me promeritum, quod non moltitudine propinquorum, non aßiduitate obſecrationum, non magnitudine meritorum, ſed diuino tantùm nutu, veſtraq. virtute fa-

ctum est, ut me huic nobilissimæ ciuitati restitueretis, restitue-etis inquàm, uester enim aliquando fui, sum, nec inuitus ero, iàm si natales meos Senis adscripsero, reliqua omnia huic patriæ ingenuè fateor me debere, educationem, eruditionem, pietatem, et si quæ alia sunt in me naturæ ornamenta. Quid plura? me mihi restitutũ vides Parthenope, in te namq. charissimi parentis conduntur ossa. cuius, dùm memini, non sũ tàm ferreus quin patris charissimi atq. amantissimi dulci recordatione commoueat. Tù Marcelle eras columen, et præsidium iuuentutis meæ, tu fidissimus Dux uitæ meæ, tu maxima pars animi mei, Quare, cùm iuxtà tuum sepulchrum, in quo, cũ tuis sacris cineribus semisepultus eram, nunc me constitutum uideam, memet ipsum mihi restitutum esse quodammodo intelligo. Huic ego post Deum immortalẽ debeo hanc vitam, hanc lucem, institutionem, sapientiã (si quæ est) et cætera uitæ præsidia. Nec propterea de tuis aliquid detrahitur laudibus atq; innumeris erga me promeritis Io. Bolognete ornatissime, idemq nostra memoria iurisconsultißime, cuius ingenio, eruditioni, præstantiæ huius nostri Consulatus fasces: Doctoratus videlicet insignia lubentissimè submittemus. Cùm ea omnia quæ quàmplurima nobis in hac literaria palestra feliciter euenerunt, magna ex parte tibi accepta referamus. Sed reuertar ad amantissimum patrem, apud quem ille ipse Bolognetus magno semper in pretio fuit habitus. Hunc ego Aud. institutorem, Doctorem bisq. parentẽ habui, cùm ab ipso duas uitas, alterã naturæ, studiorum alteram acceperim. Quare, cùm me ijsdem honoribus, atq. insignibus, quibus et patrẽ meum cohonestare uoluistis, admirari, et laudare satis nõ possum non uestram tantùm in me humanitatẽ, et clementiam,

quan-

quantum eximiam in patrem meũ gratitudinem, et memoriam, effecistis enim prò incredibili uestra uirtute, et beneficẽtia ut in me conuerteretis, quæ patri Senio, studijsq. confecto emerita præmia parabatis. Quæ tantò mihi illustriora uidentur, quantò et meritis inferiorem, et doctrina posteriorem, et ætate minorẽ me patre meo esse comperio. O igitur eximiam bonitatem, ò inauditã clementiam mihi prædicandam, posteritati commendandam, et ab omnibus extollendam. Ignoscite præstantissimi Aud. si paulò liberius uobiscũ ago, dicam quod sentio, uestra culpa factũ est, si uobis prò dignitate gratias referre non ualeo, tanta est enim magnitudo uestrorũ erga me meritorum, ut si me ipsũ, fortunasq. meas omnes in uestram gratiã conferrem, satisfacere nullo modo poßem, Sed, ut ad studiosos iuuenes. quorum in præsenti maximam copiam adesse conspicio, nostra demùm conuertatur oratio. Video præclari adolescentes ea uobis ad iuris prudentiã comparandam adiumenta esse concessa, ut quiuis uestrum, modò ne sit planè absurdus, modò ne studium omninò fugiat, et laborem, nõ difficillimè queat iurisconsultorum numerum aliquem obtinere, ingenita tanta sunt quanta me usquàm uidisse nòn memini. Vidi autem multa præclara, legũ autem scientiam quis non intelligit nobis magis propriam quàm cæteris, et quodammodò naturalem esse? Magistros habetis et Doctores (de me enim ipse non loquar) ut eruditißimos, et integerrimos, ità etiam omnibus probatißimos tanquàm diligentes. [illegible]

gnum, sed nec in mediocrem iuriſconſultum euaſurum, niſi ſe totum, rebus cæteris poſt habitis, huic ſtudio conſecrauerit, niſi omnes inquàm curas, ſolicitudines, & cogitationes in hoc unum collocauerit, ſed ne inanes ſuſcepti uideantur labores hi, videndum eſt quam in veſtris ſtudijs rationem teneatis. ad quem finem tantæ vigiliæ dirigantur, quò tendant? quæ ſit mens, animus, & conſilium cuiuſq. in addiſcenda iuris prudentia. Video pleroſq. hac noſtra ætate, dùm iuris prudentiæ dant operam, non ipſam ſcientiam, & cognitionem, quæ ab omnibus expetitur, ſed potius quæſtum, ac lucrum, tamquam vltimum finem, & ſcopum ſibi proponere, ex qua re, præterquàm turpiſſimum eſt, legem totius Reipublicæ Reginam, ac dominam mod cæ pecuniæ quaſi uile mancipium ſubijcere, infinita etiam emanare ſolent incommoda, hinc enim fit, ut complures uix primoribus labris Grammaticæ rudimenta attigerint, cùm rudes, & ſine vllo ſcientiarum ductu, atq. comitatu ſacratiſsimarum legum penetralia ingredi non dubitant, ex quo contingit, ut cùm ueterum iuriſconſultorum arcana myſteria hebeti mente complecti nequeant, penitus ſe in barbarorum commentarios immergant, malintq. riuulos illos conſectari, quàm ad integros fontes accedere. Hinc fit, ut pleriq. ſpe lucri impulſi, nihil aliud optent, atq. expetant quàm ad expilandos miſeras vrbes, decipiendos clientes, reos depredandos, explicato quaſi adulterinæ dignitatis vexillo feſtinanter aduolare; Sed quid dicam de illis, qui cùm non dùm contemplationem aliquam præceptorum iuris fuerint aſſequuti, ſtatim ad praxim, ad cauſas, ad forum, ad tribunalia ad ſubſellia confugiunt? O deprauatam noſtri temporis conſuetudinem. ò profligatiſsimam

iuris

iuris prudentiæ conditionem, hoc est studere? hoc iurisconsultum esse? hoc sacrislegibus incumbere? & non potius in summæ cuiusdam ignorantiæ uolutari luto, & in medijs legibus, iuribusq. patrum, omnes disciplinarum leges despicere, omniaq. studiorum iura contemnere? Præclarum iuuenem Aud. ad elaborandum, ad vigilandum, ad insudandum denique literis non tàm lucrum, & præmium, quàm ipsa rei cognitio & ueritas debet allicere. Hæc uos mouere debet, hæc excitare ad studium, hanc intellectus noster naturali quadam ui appetit, in hanc uel inuitus quasi quibusdam fertur ponderibus, ut potè cuius tota perfectio imperfecta absolutaq ueritatis cognitione sit posita. Neque satis est ad id quod adipisci desideratis optimum solum finem respexisse, nisi etiam in uestris studijs rectam quandam, & accomodatam teneatis rationem, quæ in eo consistit potissimùm, ut ea quæ à Doctore vestro dicentur, diligenter excipiatis, eaq. non audiuisse contenti, domi per Vos ipsos longa meditatione iterum repetatis ipsi, qua in re multò plus insudandum, & studij collocandum est, quàm in Doctorum commentarijs euoluendis. Vitiosa namq. res est, & omnium disciplinarum studiosis Valdè perniciosa, peruersa illorum opinio qui multa negligenter malunt excipere, quàm pauca exactè possidere.

Vt enim quotidiana experimur Viuendi ratione, eos, qui immoderato se se onerant pastu, & potu, perturbari statim toto corpore obstupefieri mente, labefactari sanitate, nec suas

verſiculi uiſi, reuiſi, lecti, lectitati ſemel, bis, & iterùm examinati plus afferunt vtilitatis ad diſcendum, quàm ſi omnium præceptorum diſcipulus; omnium lectitator doctorum, excipias cunctos, intelligas neminem. Agite ergo vos ſtudioſi iuuenes, Vos enim alloquor quibus, & virtutis gloria calcar addit, & iuris prudentiæ pulcherrima ſpeties deſiderij faces accendit. Agite inquam, ne patiamini, vt neglectis ſummorum doctorum inſtitutis, nefarijs quorundam tabularum placitis abducamini. Incumbite, incumbite obſecro, ad legis ſtudium, dignum ingenio, dignum ætate, dignum ſplendore veſtro, nobilitati patriæ, maiorum gloria, Suſpicite antiquum iuriſconſultorum Senatum, attendite ſacroſanctas illorum leges, et inſtituta, animaduertite quàm multiplex in illis, & varia fuerit cognitio, quod verborum, & ſententiarum flumen, qui ſplendor in loquendo, quæ autoritas in interpretando, quæ grauitas in conſulendo, quod nomen apud alios, quæ virtus apud ſemet ipſos, Quæ fama apud exteras nationes, Nolite, nolite tam præclaram uobis oblatam occaſionem negligere, nolite deeſſe vobis ipſis, ut in re tàm graui & illuſtri, deſides uideamini, nolite deeſſe veſtris parentibus, qui optima expectatione allecti uobis ad hæc ſtudia ſumptus ſuppeditant, nolite denique deeſſe patriæ, quæ ad omnium calamitatum remedium, optimis iuriſconſultis ſemper eget, hac enim ratione facilè fiet, ut & vobis ipſis utilitati, & parentibus ſplendori, & patriæ gloriæ atq. honori eſſe poſſitis. A me uerò ea uos expectare iubeo, quæ ab homine veſtri amantiſſimo, huius præſtantiſſimæ vrbis ſtudioſiſſimo, atq. maximè ob innumerabilia ueſtra in me, patremq. meum beneficia obſtricto deſiderare, expectareq.

iure

iure optimo debetis. Sentio equidem quàm graue onus quàm difficilem prouintiam susceperim, experior tenues, & imbecilles vires, tùm corporis tùm animi, intelligo etiam quanta non iuris prudentiæ modò, sed disciplinarum etiam omnium eruditione præditum eum esse oporteat, qui in hac florentissima Vrbe, in hoc celeberrimo gymnasio, ius ciuile profiteri se posse fateatur. Sed in his omnibus multa sunt, quæ me consolantur. Primùm, me hunc locum non mea sponte, sed vestris uel precibus, & obtestationibus; seu voluntate potius, & imperio conscendisse. Vos id effecistis Viri clarissimi, à Vobis primùm, à me nunquam id consilium profectum est. Sit igitur uobis hæc mea voluntas ad vestrum arbitrium conformata pro cumulo sapientiæ pro splendore eruditionis prò floribus facundiæ atq. eloquentiæ, ac denique prò ijs omnibus quæ vobis digna in me poteritis quamplurima desiderare. Hic enim aduentus meus, hæc auditorum frequentia, hæc insignia præclarissima, hæc cathedra dignitatis, & honoris locus monumentum æternum futura sunt, non audaciæ vel temeritatis meæ, cùm ne prehensarim quidem, sed humanitatis, & beneuolentiæ vestræ, qui me hùc asciuistis vltrò, conuocastis vestra sponte, & ad id quò alias non auderem, quasi quodammodò coegistis. Hùc accedit secundo loco id, quod apud me ferè obtinet primùm, Vestra videlicet studiosi iuuenes beneuolentia, & charitas, qua, & modò in ingressione mea, & sapè anteà aliquorum ver-

ſint, & qui fuerint, iucundiſſimè condiantur. Inter cætera autem humanitatis, & beneuolentiæ veſtræ à vobis exhibenda argumenta illud non contemnendum erit, ſi ea uerba, quæ inter docendum à nobis proficiſcentur, amanter vos ſine ſibilis, ſine ſtrepitu, ſine rumoribus, aut clamoribus excipietis. Hæc enim, præterquàm quòd teretes, religioſaſq. aures grauiſſimorum quorumcunq. virorum vehementer offendunt, præterquàm quòd ingenuos, & liberales viros ab hoc gymnaſio alias celeberrimo arcere ſolent, preterquam quòd veſtram utilitatem minuunt, & fructum quem ex lectione, vel diſputatione excipere deberetis quaſi ueſtri ſundi calamitas intercipiunt. Sunt etiam res indignæ modeſtia ueſtra, indignæ nobilitate indignæ animi celſitudine, indignæ exiſtimatione, indigniores præſentia. Illud potius à uobis etiam, atq. etiam rogo, ut ſi quà in re ueſtris commodis defuero, ſi de utilitate ſtudiorũ aliquid prætermiſero, uel in minimo aliquo rectè iudicãtibus non ſatisfecero, benignè, quæ ueſtra humanitas eſt, me ipsũ commoneatis, Res enim uobis eſt cum eo homine, qui, ſi ſemel nouerit ſe, id, quod preſtare nõ poſſit ſuſcepiſſe, facilius ſuccumbet oneri, & ſua ſponte ab his, ad quos pertinet, bonam curabit veniam, quàm vel vobis inuitis legat, uel eos quos non debet, ſtrepitus ſufferat. Curabo interim prò uiribus ne qua in re officij mei partes deſiderentur. Et vbi multus uel rerum vſus, uel ſcientiæ cognitio defuerit, aſſiduis laboribus, crebriſq. vigilijs, quæ vincere omnia ſolent, à me nullo unquàm tempore parcetur. Vnum ſupereſt, vt feliciſſimis auſpicijs non prophanis illis ſed religioſiſſimis noſtrorum ſtudiorum initia deſumamus, vt ſcilicet vnuſquiſq. noſtrum hos ſtudiorũ labores, has vigilias, omnemq. in parandis

ſibi doctrinis diligentiã eò referat, quò maximè debet, ad laudem videlicet Dei optimi primi ſacrarum legum inſtitutoris ſub cuius præſidio ſacroſancta iura ſarcta, tectaq. ſeruantur ad Eccleſiæ parentis noſtræ gloriam, & ſplendorem; Cuius ſanctitas, pietas, religio, tunc maximè florebit, cùm ſacræ vigebunt leges, ad utilitatem vniuerſæ Reipublicæ, cuius integritas, pax, & tranquillitas in ueterum decretis quaſi in quodam portu quieta conſeruantur. Sic enim fiet, vt ego felici mearum lectionum euentu propenſior inuigilem, ut vos ſtudiorum allecti dulcore, inomnem acquirendam laudem ſerius incumbatis, utq. Deus Opt. Maximus ſuis beneficijs atq. fauoribus hanc pietatis officinam, hunc bonarum diſciplinarum cætum, has doctrinæ ſedes nos denique omnes aſſiduè proſequatur.

FINIS.

Imprimatur.

Flam. Torcell. Vic. Gen. Neap.

M. Philochalus Tharaldus Carmelita vidit.

Idem fol. 113.